

Q. N. 350, 9.

Q. C. F.
Sciagraphiam

157
II f
557

VIRIUM IMAGINATI- ONIS,

X1860417

Indultu Superiorum
PRÆSIDE

DN. M. Gottlob Friedrich
Seligmann/

Hic Metaphys. & Phys. Prof. Publ.; Lipsiæ
Ducal. Collegiato. Fautore & Præceptore suo
ætatem colendo

ad die 5. April. Anno 1682.

In Auditor. Majori horis matutinis
publice exhibebit

1/2. —

JOHANNES POSTEL.



ROSTOCHII

Prelo JACOBI RICHELII, Senat, Typogr.

S 43.



Ad suum scopum, quem cognoscas ex desideratis Phy-
sices, quæ notavit quoque Becmann. Politic. Parall. Dis-
sert. 1. §. 1. non adeò in congruè applicat Lib. 1.
Nov. Org. n. 123.

Verulamius illud per jocum dictum:
FIERI NON POTEST, UT IDEM
SENTIANT,
QVI AQVAM ET QVI VINUM
BIBUNT.

quæquam an in omnibus applicatio rite se habeat, dis-
cuti adhuc posset.





Artem nostri meliorem (Mentem volo) qui penitus cōtemplari suscipiunt, sive in Cogitatione cum Cartesio (α) sive in penetrabilitate cum H. Moro (β) sive in immaterialitate cum Scholasticis (γ) communem ponant essentiae conceptum, ad duū generum, circa quæ ipsa occupetur, respicere solent objecta; attinetque alterum SCIENTIAM; POTENTIAM alterum; merito evolvenda distinctius. Et quidem quod ad Scientiam solliciti imprimis sunt de Immaterialibus; quousque sibi relicta Mens, citra Revelationis gratiam, traditionumve adminiculum, pervenire in eorum queat cognitionem, tum si de DEO, tum si de ANGELIS, tum si de MENTE ipsa quæras, investigantes.

(α) Vid Cartesius in Not. ad Progr. Reg. p. 178 (β) vid ejus Epist. ad Cartes. P. I. Ep. 76. pag. 179. quod ipsum & de Gassendo colligas ex corporis conceptu primo, quem impenevabilitatem facit, vid Zodiac. Medic. Gallic. Anno 1679. sub Mens Maj. observat 4 ubi iudicium aliquod huc spectans quoad Cartesium & Gassendum legi potest (γ) Suarez. in Metaphysic.

II. Nimirum præstantissimum quorumvis, quæ Mens considerare valet, Summum Numen est, Autor omnium, omnisque veritatis origo DEUS, à cuius cognitione quicquid est nostræ cognitionis, ita pendet, ut evidentia, eam si omittas, certe invicta obtineri nequeat. (α). Innotescit autem DEUS ex Natura non solum per acquisitam sed & insitam notitiam; perque hanc juxta aliquos habitualiter i.e. actu primo ante omnem rationis usum per modum habitus connati (β); juxta alios per potentiam proximam, quâ apprehensus terminis intellectus sta-

quim ad assensum determinetur; ac pro priori sententia No-
strates Theologi passim pronunciant. Ceterum utramque So-
ciniani non minus ac Athei labefactare annituntur; sed diverso u-
trique scopo. De Socinianis enim quam sint primævæ hominis
perfectioni inimici notum est; ut ergo eam penitus exturbent,
negant quoque insitas in eo notitias, aptitudinemque sine alteri-
us manu ductione aliquid colligendi (γ) Athei vero easdem non
admittunt, ut in vita liberius perversitati suæ possint velificari;
num mente nunquam contradicente? disputatur. Hinc spe-
culative tales, an dentur, quæri solet? & de his affirmat B. Hul-
semannus (δ) Possibile esse dari ad tempus quosdam speculative
Atheos, non per naturam sed per excœcationem. Interim na-
turaliter DEUM probandi rationes in promptu sunt variæ, in qui-
bus Scherzerus triplicem tritamque sæpius viam Causalitatis, E-
minentia & Negationis refert (ε); quæ tamen posteriores duæ in
sola causalitate fundatæ sunt, quæ nondum posita, nec Eminen-
tiam pones nec Negationem. Quæ propter ab existentia etiam
nostri, (ideam jam relinquo Cartesianis) (ζ), sat firma est ad
Deum argumentatio, dum ab effectu prænobili ad ipsam Cau-
sam nobiliss. cōcluditur. Hæc verò ita hausta, quamvis imperfecta
sit notitia nec salutaris, eo ipso tamen dum Deum esse agnosci-
mus, & attributa simul quædam essentialia (personalia sunt Revela-
tionis) nobis innotescunt, sic satis nihilominus ad obligandum
nos erga Deum informamur (η). Hinc illæ Conclusiones na-
turæ notæ: DEUS est amandus; quia Optimus, munificentis-
simus: Metuendus; quia Vindex acerrimus propter Justitiam pu-
nitivam: Eidem est confidendum & credendum; quia veracis-
simus: parendum; quia potentissimus. Quæ si conjungan-
tur omnia, Cultum à nobis exigunt, eumque singularem & solo il-
lo præstandum, qui DEO placere potest, modo, tum respectu
Objecti colendi, tum Subjecti colentis, illud est invisibile, pro in-
ut tale colendum; ita cadunt Idola: Unum, sic evanescit Poly-
theismus. Hoc talem DEO præstare debet cultum, qualem i-
psi secundum ejus attributa convenientem novit. Atque cæ-
ratione

ratiōne naturali Mens obligatione fertur in Dei notitiam & Cultum.

(a) Vid Ant Le Grand Institut. Philosoph. part 2. Prolegom (β) Ita explicat Excellentissimus Dominus Doct. Schomerus in Colleg. M. S. de Novissimis hujus seculi controversiis cap. 2. de DEO. Habitus analogon vocat Calovius. (γ) In qua quidem re Grotius ipsis subscribit, simplicitatem primorum hominum asserens Lib. 2. c. 2. de J. B. & Pacis (δ) Breviar. cap. 2. §. 1. (ε) Loc. 2. de DEO Syst. Theol. (ζ) Le Grand. c. 1. part. 2. artic. 2. (η) Dn. Albert Compend Jur. Nat. part. 2. p. 38.

III. De Angelis nihil mens naturaliter definire potest, quippe qui ex solo Verbo certo cognoscuntur. Probabilia argumenta Lumini naturæ non omnino denegaverim, modo apodictica reserventur Revelationi. Probari enim naturā à priori non possunt quia eorum creatio est meræ libertatis cujus cognitionem non aliter quam ex speciali habemus revelatione (a). Nec à posteriori; operationes namque quæ allegantur vel animabus separatis vel tertio cuidam enti (quod tamen non statim Angelus) probabiliter tribui possent (β). Quæ de Spectris objiciuntur sunt infirma. Sic nec ex Vacuo formarum sive Creaturarum scala (ut vocatur) absque formidine oppositi concludi quicquam potest, cum à probabilitate convenientiæ ad veritatem existentiae N. V. C. secundum Scherzerum (γ). Et quanquam habeant veteres non nulla loca, ubi Dæmones nominant Geniosque, quicquid hinc scivere traditioni debent, quam tot miraculosa phænomena evidentiorum paulo fecere (δ). Ceterum sit licet in nobis clarus conceptus rerum Spiritualium ac distinctus, in quantum sunt res cogitantes, ut forte dari potest Novatoribus, vix tamen explicabitur, quomodo à Mente nostra differat Angelus; quod & recte iidem inde deducunt (ε). Cum (ut asserunt) substantialis non sit, sed qualitatis & officii inter mentes Angelicas & humanas distinctio, eodem sc., quem statuunt, (ut dictum) conceptu essentiali nempe cogitatione gaudentes (ζ). Unde liquet, naturali Mentem nostram ductu in cog-

ditionem certam Angelorum pervenire haut posse. Respicienti vero Lumen revelatum existentia horum ut & cetera de iis dicenda facile patebunt.

(a) Vid. Ant. Le Grand Instit. Phil. part. 3. art. 2. §. 3. (β) Dn. Scherz. Syst. Theol. Loc. 3. §. 2. (γ) c. l. (δ) evolvatur hanc in rem Disput. de Casu oblati sub Clariss. Seligmanni Præsidio ante annum fere habit. Thes. 10. (ε) videantur passim hac de materia Scripta. Neotericorum. (ζ) Le Grand. c. l. part. 3. artic. 1. n. 1. seqq. & part. 9. artic. 1. n. 4.

IV. Naturæ denique lumine Mens se ipsam agnoscit ut Substantiam cogitantem, Intelligentem, volentem, abstrahentem, judicantem, affirmantem, negantem, ratiocinantem deliberantem &c. Sed cogitationes quando à nobis intime percipi monstrat, per illas in cognitionem nostræ Existentiæ nos deduci certissimam opinatur Antonius Le Grand (a) Ex eo præterea quod semper Mens cogitet, concludit idem quod sit immortalis. Alias ex simplicitate argumentum pro ejusdem immortalitate formari potest, præeunte in hoc etiam acutissimo Hamburgensium Philosopho & JCTO Placcio, firmissimum (β). Per eam enim, quia Mens partes extra partes nullas agnoscit, quæ corpori propriæ, quibus negatis, negatur simul extensio & divisio partium, sequitur, quod nec corrumpi possit nec mori, & sic recte Mens dicatur immortalis, immortalitate sc. intrinseca (γ). Sic etiam interitus species nulla, quam corporalis nobis patet, animæ sive Menti non assignanda, quæ durationi perpetuæ potius quam temporali destinata est, quod ex appetitu æternitatis, qui frustra alias à natura datus, elegantissime idem iterum colligit (δ). Vides ergo Spiritualitatem esse & immaterialitatem, de mente merito prædicandam, potissimum Immortalitatis argumentum, quia id Spiritus est, quod principia corrupentia interna non habet, (non habet hæc quicquid materiam non habet) quanquam finitus Spiritus externa quidem, sed non inferiora agnoscat, & proin hoc iterum pateat, quod Mens à corpore non possit corrumpi vel conservari vel propagari, cum hæc omnia

omnia corpoream illam præsupponant (ε). Quæ vero de animarum origine & propagatione doceri solent, huc etiam spectant. Argumenta pro traduce discimus ex Dannhawero (ζ) Scherzero (η) quorsum Lectorem nunc ablego: Cum nec, quas potissimum in Pneumaticis respiciunt, status separati operationes, desiderium videlicet redunitiois, reminiscenciam, aliasque, quæ certius item Scriptura monstrat, libeat attingere. (θ).

(α) Part. 9. artic. 1. Instit. Phil. (β) in libello elegantissimo quem inscripsit Typ accession. Moral. cap. 2 (γ) Du. Scherz. Syst Theol. Loc. 5. §. 5. (δ) vid. porro nunquam satis laudatus Placcius c. l. (ε) idem c. l. (ζ) Hodosoph. Phænom. 5 p. 424 (η) Syst. Th. Loc. 5. §. 9. (θ) de omnibus hisce confer. Ludov. de la Forge de Ment Hum. cap. 7.

V. Interim ventilare hæc quidem animus erat paulo prolixius, jussu mihi abs Honoratissimo PARENTE publicam adire συζήτησιν, nisi jam alibi in habita quandam sub Præsidio Clariss. mei Præsidis dissertatione allata pleraque compendiose viderem, ut sic cocta fortean recoqueretur crambe: hinc ad aliam magis respicere placuit materiam, quâ id, quod in POTENTIA Mentis quæritur, pro re nata explicabitur.

VI. Itaque ut paucis Mentem confestim exponam, sepositis reliquis quæ hinc considerari poterant, quod titulus habet Vires nempe imaginationis publici colloquii materiã sum facturus, quanta Mens unita corpori Spirituum adminiculo, in corpus id quod ipsi Menti unitum, aut etiam aliud possit, pervidere conabor, eã scilicet, quam & tempus & charta mihi permittet, ratione.

VII. Nimirum ad statum si advertam Medicis naturalem dictum, i. e. Sanitatem, quã in eõ imaginationis Vis se exerat, vel Antipathia (ut vocant) & Sympathia doceant, imaginationi, tantum non omnimodis, ascribenda. En vero in his illud Poëticum.

Non amo te Labidi nec possum dicere quare,

Hoc tantum possum dicere, non amo te. (α)

Quor-

Quorum & favor in ludis referri solet, quo ad alterum lu-
dentium, inscii ob quam causam, inclinamur magis, quam ad
alterum (β). Nec hic seponendæ penitus aversiones, per
quas sive feles quandoq; sive etiam cancos, sive butirum, sive
caseos ferre nequimus. (γ).

(α) Vid. Lud. de la Forge de Ment. Hum. cap. 22. §. 17. (β)
idem c. 1. §. 19. (γ) Ant. Le Grand. Hist. Nat. p. 442. ubi varia
exempla huc spectantia in promptu sunt

II. Ceterum quantum etiam conferat sive ad ratiocina-
tionem, sive ad eloquentiam, nec non Poësin &c. Imaginatio,
experientia testetur. Facit hæc Oratores, reperta cum prom-
titudine; Eruditos, comitata robore; Pictores, Architectos,
Machinarumq; inventores, juncta cum curiositate roboreq;
mediocri (α). Hinc ipsis Ingeniis & moribus multum tri-
buere dicitur (β). Quid? quod ipse Deus in aliquibus non
parum reliquerit imaginationi, unde quasi juvetur magis no-
titia; hinc similitudines adhibitæ, typi, descriptiones per mem-
bra humana (γ) &c. Scilicet, sumus omnes à juventute ad id
magis assuefacti ut sub specie quadam corporea nobis quævis de
quibus differere velimus, imaginemur (δ).

(α) Vid. de la Forge de Ment. Human. cap. 28, §. 22. Nolim tamen
hac ratione imagines illas verè phantasticas & nomina plus quam
barbara, sub quibus res solent concipi, commendare, vid. de hisce
Becm. Moral. c. 2. §. 16. (β) Conf. hanc in rem Becman: de In-
geniis in Moralib. (γ) idem de questione, cur senes in Somniis
Deus juvenes in visionibus allocutus sit Moral. c. 2. §. 10. (δ) Cart.
P. 1. Pr. 71. Dannh. Hodof. 206. 282.

IX. Invenio vero hinc singularia quædam notanda, ut histo-
riam illam Gallicam de foetu animato, quem per imaginatio-
nem præsentis Mariti, qui per quatuor annos jam abfuerat, obi-
eratq; se concepisse ac filium enixam fuisse, Fœmina quædam
nobilis asseverabat. Pronunciavitq; pro eadem Parliamen-
tum Gratiano politanum, sed Sorbona hanc sententiam rejecit:

(α)

(α) cujus & bene quidem se habent morales causæ, ob quas contradicebat illi, dum ad prætextus inde eventuros provocat; Neque malæ causæ Physicæ, cum Molasita conceptas, licet non omnes omnimodis, (β) haut vero animatos foetus, agnoscant Medici.

(α) *Becman. Moral. cap. 2 §. 6.* (β) *Ad varia impedimenta provocatur in Ephemerid. Medic. Physic: German. Ann. 1. Observ. 1. Schol. p. 11.*

X. Non autem semper circa vera versatur Imaginatio, quia apparentia interdum, interdum falsa sibi sistit. Atque hinc spectat Conceptus falsus abs Bartholino notatus, quo Nobilissima Matrōna dolores parituræ tolerasse scribitur, foetu tamen nullo prodeunte (α). Ceterum Imaginationis illius maxime conspicuam se reddit in superstitiosis, in Sagis & Veneficis. Quid in superstitiosis possit, quotidiana Anicularum edocent exempla. Sic & sagas & veneficas quandoq; turbat imaginationis vertigo, ut putent se illud facere, quod non faciunt, plurimosq; hac in re ludit credulitas, ut naturæ opera imputent fascino. Observatione digna sunt, quæ extant passim prodita in scriptis miracula, ut: Sublatio in aërem, transformatio sui ipsius in aliud corpus &c. eaq; incantationibus non adeo attribui, quam corpori adhibitis unguentis (β). Notissima sunt Sagarum effata, se translatas esse in Bructerum Montem, se damnam intulisse vicinis &c. num autem fidem semper mereantur? ostendit Becmannus (γ).

(α) *Via. Ephemerid. Medic. Physic. Ann. 1. observat. 1.* (β) *Verulam. Hist. Nat. Cent. 10. fol. 949.* (γ) *Moral. cap. 2. §. 7.*

XI. Inferenda hoc loco videntur quæ de somniis adferri solent, ubi dormientibus imagines apparent, tanquam vigilantibus, quæ circa præterita sæpius, sæpius circa futura versantur; & prius ab imaginationibus, si posterius à mente, sed modo fermè incognito, in quo sive enucleando sive perpendendo nunc occupato esse non licet, dependent, quanquam vero multa utrinq; disputentur, sufficiat tamen, posse somnia pleraq; imagi-

B

natio-

nationes dici dormientium. (α). Quid de Onirocritice sentiendum pluribus iterum explicuit Becmannus. (β).

(α) *Becman. Moral. c. 2. §. 8. & 2.* (β) *idem c. 1. §. 9.*

XII. Hactenus de statu sano. Haut minor est efficacia Imaginationis in statu præternaturali sive morboſo. Hæc quid in morbos valeat exprimant verba Jacobi Regis Angliæ: Res naturæ compertiffima est, viribus imaginationis, Spirituum a-nionem fulcientis, naturam non raro morbos delere. Hinc in Odontalgia & Colicis doloribus Æsculapios quotidie habemus novos, callosos Agricolas, Anus deliras, simplices Ancillas. Hi sacrum scilicet exhibent ægris Antidotum suisq; aut amicorum periculis notum, admittit credulitas, sanat fiducia: Vides ut illis proſit ignorantia veri (α). Cui illustri asserto adſtipulatur Cartesius, imaginatione quoque morbos nonnunquam posse curari dilerte affirmans (β).

(α) *Vid Becman. in Moral. cap. 2. §. 4.* (β) *Epist. 23, pag. 47 49.*

XIII. Hinc (ut ne multum laborem circa ipsorum ægrotorum phantasmata; vi quorum e. g. ille apud Le Grand tertianâ laborans se vulnere, quod non habebat, in humeris multum torqueri aiebat (α): & Phreneticus ille Parisiis integro die eosdem sermones repetebat (β); Huartusq; quidam Hispanus se regem in delirio arbitratus, prudentissimos de Regimine faciebat discursus (γ)). Hinc inquam tot morborum per imaginationem curatorum exempla. Ex multis pauca adducam: Mulier quædam Hafniensis, quartana afflicta febre consilium cepit ingeniosum, transferre se. febrem in saxum quoddam, haut procul remotum ab urbe: Scripsitq; hæc literas officiosissimas, quibus indidit vinculum; mittit deinceps hominem, qui præmissa salute saxum roget, ut ad se febrem recipiat. Servus exsequitur mandata, saxum ornat vinculo, prælectisq; literis abit. Quid fit? mulier sanatur imaginatione, immunis postea à febre. Simile huic refertur de ancilla nobilis cujusdam Matronæ: hæc offert Dominæ se redempturam duobus solidis febrem, & prævalet Imaginatio, ut, salvâ Dominâ, in febrem inciderit

ciderit Ancilla (d). Ita quanta penes infantes in emendis Variolis veretur Imaginatio, ex superstiosis mulierculis ducens originem, cuius notum est. Taceo eos morbos, quorum ut ipse ortus, sic & cura Imaginationi deberi videtur.

(a) Vid *Le Grand. Hist. Nat. p. 426, n. 2. ubi plurima hinc spectantia recenset exempla.* (b) *idem. c. l. p. 428. n. 5.* (c) *id. c. l. p. 429. n. 6.* (d) *evolvantur hanc in rem Ephemerid. Medic-Phys. Germ. Ann. 2. observ. 165. p. 263. & curiosa ibidem multa huic negotio convenientia offendere licebit.*

XIV. Nolo tamen aliud penitus omittere, donum n. p. sanandi Strumas, quod Regibus Galliae & Angliae adscriptum novimus. Id vero Becmannus maximam partem fundatum esse in Imaginatione opinatur, quam in rem appensum aurum allegat; quo amisso recidivam patiantur aegroti. Proin merito pugnat contra eos, qui miraculo quopiam divino, aut Satanicae imposturae hanc assignandam virtutem somniant, quod prius reclamet Fidei, posterius tantorum Principum pietati. (a).

(a) *Moral. cap. 2. §. 4. Conf. Notic. Dignitat. Illustr. Dissert. 5. c. 2 n. 4.*

XV. Huic Eventui Imaginationis circa morborum curam, subnectendum venit stupendum prorsus exemplum, quod nempe ex Imaginatione Mors possit accelerari. Accidit id Anno 1664 Thorunii filiae ejusdem urbis Consulis, quae tempore graviditatis sibi post partum moriendum esse firmissime imaginabatur, nixa hoc argumento, quia Mater ipsa superstita mox a partu decesserit, evenitque, ut postquam pepererat, epilepticis insultibus correpta, obierit; Cujus Mortis causam nullam, nisi magnam Imaginationem in venire potuerunt celeberrimi Medici. (a).

(a) *Vid Ephemerid. Medic-Phys. Germ. Ann. 2 Observ 137. p. 221. Simile exemplum refert Nobiliss. KERKERINGIUS, sub cujus Persona Magnum Ducem Florentiae nunc veneratur Hamburgum nostrum, in Spicileg. Anatomic observ. 21. de Foemina cui Mendica mortem ob denegatas eleemosynas intra 6. Menses praedixit, haec*

sibi proponens fatalem terminum, accedente ad Imaginationem infirmitate eo ipso die vivere desit.

XVI. Disces exin quâ vi polleat in gravidis Imaginatio. Ostendunt id ipsum earum desideria, quæ licet vel maxime oriantur ex corruptis ventriculo quæve insertis humoribus, non parum tamen ad eadem confert Imaginatio: Ut monstrat insigne exemplum gravidæ foeminae in Belgio: Hæc conspiciens seminum dum Pistoris servum corpore satis eleganti & nitido, maxima exarsit cupiditate mordendi carnis particulam ex ejus femore (barchio alii) morsumque obtinuit post multas preces unum, alterum quoniam ferre nec potuit nec voluit servus, subtristis plena desiderii gravida abiit; enixa est dein brevi post gemellos, quorum vixit alterum, mortuum vero fuit alterum. Quod ad Imaginationem simul reducit, quantum colligere possum, Pfizerus (a). Atque unicum hoc ex multis recensere placuit, cum aliâs historiae plurima tradant de comestionibus gravidarum naturam penitus excedentibus, ut sunt Cretæ, Carbonum, Lini, Picis, Axungia &c. (b).

(a) Vid. Cit. Aut. in Libr. de Natur. Mulier. p. 562. seqq. (b) Plurima de Pica Gravidarum exempla suppeditant Ephemerid. Medic-Physic. German. Ann. 2. Observ. 209. p. 31. quorsum ablego. Hæc quoque referri posset illud quod c. l. Ann. 1. Observ. 20. p. 79. habetur, de Consensu Labiorum faciei cum labiis uteri, & quid in hoc præstet Imaginatio, sed hanc observationem consultus omitto.

XVII. Harum autem quando memini feror hoc ipso simul ad Vim Imaginationis in alia corpora, menti ipsi imaginanti non unita. Ubi primum sibi vendicant locum foetus in Utero adhuc degentes, (qui aliud tamen sunt ab ipso gestante corpus) in hos quid possit gestantium Imaginatio, pluribus demonstratum exemplis passim reperimus (a). Quamvis sint qui de hac imaginationis efficacia dubitent, sint, qui plane eam negent. Interim exempla rem hanc confirmare satis videmus, cum albos quandoque natos esse infantes ex Parentibus nigris legamus, ut hoc accidit

cidit Persinæ Reginae Æthiopum, ex aspectu scilicet picturæ referentis imaginem Persei & Andromedæ. Sic mulier quædam Leidensis gravida, cum viri cujusdam ex improvise curvas conspexisset manus, adeo consternata est, ut fere in Lypothymiam incideret, paucis dein diebus elapsis, peperit curvis manibus ac pedibus filiolum, en! miram Imaginationis vim in foetu parvulo vicino (β). Item obtutu Leporis infantes edere labello supremo bifido Matronas Hollandiæ observat Lemnius (γ). Monstrorum quoque foetuum ex Imaginatione Matrum exempla quotidiana præbet experientia, ne jam illud de Infante in Silesia nato, cui, loco digitorum pedis forcipes cancrini adnati fuere, allegem (δ). Certa videlicet est Imago in gravidis similitudinis sæpe & dissimilitudinis causa, licet non solitaria, quorsum Platonis & Hesiodi consilium, quorum ille venustos juvenes aspiciendos, hic tristitiam fugiendam suadebat, ut scilicet hac ratione imaginationi consulere tur.

(α) Vid Pfizer. de Nat. Mulier. p. 203. (β) Ephemerid. Pbyfic-Medic Germ. Ann. 2. Observ. 61. p. 118. add. Ann. 1. p. 133.

(γ) apud Le Grand. Hist Nat. p. 361. (δ) Ephemerid. Ann. 2. Observ. 61. Schol. p. 119.

XIIX. Quanta vero nuda Imago in alia plane extra hominem posita possit corpora inquirere nisi omnem fere superare videretur quicquid id est negotii rationem. Nolo ad exempla fascini respicere, cum præcise huc non spectent, quia Dæmonum interventu plerumque non carent. Allegabo fatium judicium, de Imaginationibus exaltatis Paracelli & Gregalium, quod ex Verulamio fert Becmannus; idque ita habet: Tantum inter horum vanitates & veras artes interesse, quantum inter res gestas Jul. Cæsaris aut Alexandri M., & res gestas Amadisi ex Gallia, aut Arthuri ex Britannia in historicis enarrationibus interest; Nugas vocat, cum Imaginatione suâ nec unquam membrum curasse legantur: aut si curarunt, cur adeo desiderant in præparandis medicamentis (α). Interim ratione affectuum excitandorum aliquid posse imaginationem in alios forte concedendum

fuerit; quo ducit nos laudatus Verulamius, quando præcipuam vim dicit exerere Imaginationem in levissima, quæq; facillime moventur. Quid vero valeat in Plantas, Ludos chartarum, Aleæ &c. idem explicuit (β). Ubi Imaginationi quoq; attribuendum censet, vulgarissimum illud, si ad naturalem vim revoce- tur, quod cadaver in conspectu homicidæ de novo sanguinem per infictum vulnus emittat (γ).

(α) *Vid. cit. Becm. in Moral. cap. 2. §. 5.* (β) *Verulam. Sylv. Sylvar. cent. 10.* (γ) *idem c. l.*

XIX. Ita hætenus de Homine, ut potui, locutus sum. Quod in Brutis Phantasiæ spectat, allegare solent ex. gr. bella Luporum & ovium, Catorum & Murium. Sic averfari Came- melus equum; Sic Leo Gallum horrere & Suis grunitum non tolerare Elephas fertur. Sic videmus bestias sui similium inter- fectores odisse, & suo modo prosequi (α). De quibus tamen multa meminisse nolo, cum, si rationem reseces, forte eadem ratione saltem ex parte possint intelligi ut antedanea.

(α) *Evolvatur Le grand Hist. Nat. p. 391. seq. qui plurima huc per- tinentia citat exempla.*

XX. Hæc itaq; quæ hætenus attingi, sufficiant, quibus declaran- dis reliquæ adhuc paginæ videntur sacrandæ. Quamquam enim pro materiæ copia plura omnino afferri & dici valerent, non tamen id ratio Instituti nunc permittit. Præsuppono autem inter rationes physicas, ad quas pergendum, Unionem illam, conceptu quodammodo difficilem (α), quæ inter mentem est ac corpus, & ita quidem præsuppono, ut non tam formalem illam rationem & modum indagem, in quo ea consistat (modus enim varius pro varietate opinionum astringitur, alius à Scholasticis, à Recentioribus alius (β),) quam id inde consequi asseram, quod uti Corpus à Mente, ita Mens in quibusdam dependent à corpore.

(α) *Vid Ludov. de la Forge de Ment human. Cap. 13. p. 91.* (β) *idem s. l. cap. 13. per tot.*

XXI. Vis

XXI. Vis vero quibus velut nunciis utatur aut operariis aut si malis juxta alios, quibus cum communicet Mens nostra, ut eveniant talismodi operationes, quæ in administratione corporis egent organis, at in perfectione, nonnunquam etiam directione, sapiunt rationem. Id quicquid est Spirituum venit nomine, sensu non pneumatico ubi DEO, Angelis Mentibusque tribuitur (α), sed physico, ubi denotat corpuscula minutissima, viva, tenuissima, calida, mobilia, genita potissimum à maxime sincera parte sanguinis, in quibus vita nostra consistit (β). Ab his namque Spiritibus actiones naturales peraguntur (γ). Et quandoquidem Mens tanquam Spiritus subtilissimus, immaterialis, corpus humanum immediate, sine intermediis iis (corporibus scilicet igneis, activis, maxime sentientibus, aut sensum promoventibus) gubernare nequit, ideo ipsis utitur velut Instrumentis vel mediis proximis, pro gubernando & vivificando corpore, ut proin vinculum quasi inter duo illa extrema, Mentem nempe & corpus, maxima & insigni inter se latitudine distantia, nuncupari queant (δ). Dixeris rectè eorum auxilio objecta in externis organis recepta propelli ad cerebrum, in quo residere docentur sensus interni, è quibus si non sola omnia, certè potissima præstat Imaginatio (ϵ).

(α) Vid Lud. de la Forge de Ment. Human. cap. 4. p. 13. (β) conferratur Experientis. WIRDIGIUS in Medicin. Spirituum Lib. 1. cap. 16. & 17. (γ) idem c. l. Lib. 1. c. p. 2. (δ) Quod vulgo Pneumatici asserunt de Demonibus, molem è loco movere sine intermedio instrumento, sc. aère, non valentibus, id certo modo etiam de Mente affirmari potest, quæ destituta Spirituum ope corpus non movebit. Wirdig. c. l. lib. 1. cap. 14. p. 50. (ϵ) Greydanus Institut. Physic. Lib. 9. cap. 18. de Sensu Interno. & cap. præced.

XXII. Scilicet bene se habet illud Becmanni simile: Imaginatio est velut motus residuus in mari, cum cessante vento, fluctus non statim desinant, sed sensim imminuantur (α). Atque Idem affirmat quoque de somniis, quod ex diurna cogitatione
sunt

sunt quasi extremæ quædam in sensibus motiones cessantis impulsus (β). Neque id adeo difficile intellectu, si quid sensus sit, saltem attendamus. Adpellaveris autem illum non inepte Objecti per certa organa corporea huic illi ve actioni, quam sensitivam deinceps dicunt, destinata, perceptionem; legesque de eo, quod, objectum si extrinsecus præsens sit, ac exteriora organa moveat, externus inde soleat denominari; si illud amplius præsens non sit, interim in interioribus jamjam advertatur, internus vocitetur, utrinque communiter ab organo (γ).

(α) *In Moral. cap. 2. §. 3.* (β) *id. c. 1. cap. 2. §. 9.* (γ) *Confutatum Grydanus Instit. Phys. Lib. 9. cap. 17. tum Dn. Thomas. Tab. Ethic. IV. tum denique Kyperus Instit. Physic. tom. poster. Lib. 8. c. 5. n. 5.*

XXIII. An rei satis conformiter disputent, qui tres in sensibus sive gradus, sive modos advertunt, quorum primum dicunt motum simplicem, quem objectum imprimit nervis; (quibusdam etiam receptionis nomine venit (α),) alterum perceptionem vocant, quæ alligata isti motui creditur, quando impressio ea defertur usque ad sedem mentis; tertium denique iudicium faciunt; quod isthanc perceptionem sequi solet, imò debet (β). Hos si secteris, externos sensus, non tam sensus, quam aliquod sensationis, ut sic loquar, necessarium forte antecedens nominare poteris. Ut neque interni sensus, quæ motus corporei sunt, alium videntur secundum eos titulum agnoscere (γ), quæ tamen circa litem non libet adeo nunc esse sollicito.

(α) *Grydan. Instit. Phys. cap. 17. Lib. 9, p. 300.* (β) *Lud. de la Forge de Ment. human. cap. 17. §. 6. Conf. Le Grand. Part. 8. Artic. 10. n. 2. Instit. Phil.* (γ) *Vid. Sengverd. Philos. Nat. Part. 4. c. 7. p. 299.*

XXIV. Quicquid enim hujus sit, cum nec in isto momento futura resolutio requiescere censeatur, si illud saltem nunc notemus; sensu objecta percipi per certa organa, quæ afficiantur ab iis & moveantur; habemus id quod volumus: imaginationem, quæ internus sensus audit, & intra cerebrum representationis

tationis non tantum sed & mutationis variæ officio (a) fungitur, ab impressione exterius facta, objecto licet extrinsecus jam absente, reliquum dici motum posse; tamen non omnimodis forte per reliquias illas declaretur. Res quippe loquitur, quod multo post sæpius eadem redeant, quæ nunc residua, phantasmata; aliquando divisa, quæ conjuncta primum fuerant, ac vicissim conjuncta, quæ fuerant divisa (b). Unde Bodini illud: amisso sensu & semoto sensibili, etiam dormientes exercere oblati phantasmatis Phantasiam (c). Quod quâ ratione eveniat, si tribus exponendum, aliquid quidem memoriæ posses, sed potissimum consuetudini viarum tribuere, ut quoties easdem eodem situ ingrediantur & absolvant Spiritus, toties idem appareat, quasi noviter suggestum phantasma; atque proinde non male à sensu imaginationem distinguat Ludov. de la Forge, cum illi relinquit objecta actu præsentia, huic tantum imaginis quasi præsentis conceptum assignat (d).

(a) Vid. Dominus Thomas. Phil. Moral. Tab. 4. § 28.

(b) Sengverd. Philos. Nat. Part. 4. cap 7. n. 5. p. 300.

(c) Theatr. Nat. Lib. 4. p. 466. (d) De Ment Human. cap. 18. p. 145.

XXV. Atque ita generatim quidem Imaginationem, eam cum corpore conjunctæ Mentis potentiam & actionem appellare quimus, quâ illa vel potest se convertere quasi, vel actu etiam convertit ad motus Spirituum contemplandos, quibus certam vel picturam vel imaginem (a) adesse tibi persuadeas, si, quàm præsentissima nonnunquam appareant ipsa remotissima, recum cogites. Indeque Specierum nomina sensibus vel etiam Imaginationi addita; in quibus evolvendis multum desudant hinc inde Scholastici (b), modumque quo producuntur, in visibilibus e. g., nonnulli per speculi paradigma explicant (c). De quibus quidem hoc unicum non monere ex Recentioribus non possum, quod haut satis clare se exhibeant, adeoque vix exprimant, quantum in recessu est (d). Ideoque parum abest, quin ad eam interim (donec pervideam illas magis) inclinem sententiam

C

tiam

riam, quæ loco illarum Specierum, picturarum aut Imaginum, mutationem quandam motui & formæ cursûs Spirituum allatam, cui siue naturâ siue assuefactione alligatæ sint certæ cogitationes, amplectitur, ac deinceps motum quoque Spirituum in aliqibus ad aliquas cogitationes restringit, ut ille, juxta ordinationem divinam, harum propositum, quâ conjunctionis Status postulat, exercere possit (ε).

(α) Vid. Lud. de la Forge de Ment. Hum. cap. 18. p. 145. (β) Vid. Petrus Hurtadus de Mendoza Disp. 12. de speciebus impressis sect.

4. conf. Disp. 6. sect. 5. (γ) Robault. Tract. Physic. cap. 29. p. 316.

(δ) Vid. cum Robault c. l. tum de la Forge de Ment Hum. c. 10. §. 7.

(ε) Lud de la Forge c. l. c. c. 10. §. 8. & c. 15. §. 5. & 12.

XXVI. Hinc constat, reor, quorsum respiciendum sit imprimis, si Virium quæis Imaginatio gaudet, causas pernoscere velimus, & credo, si vim Spirituum prius, dein varias eorundem vias, ingressûs denique in ipsas determinationem brevissimis expediamus, rem expeditam quoque futuram.

XXVII. Spirituum vires atque operationes sub Magnetis & supremæ rotæ similitudinibus proponere voluit Verulamius (α), satis acutè; atque idem intendit, quod Dn. Wirdigius Noster expressius edieffrit (β): Corpus humanum sanum nec dici, nec esse posse sine Spiritibus, cum sine Spiritibus (præsente etiam anima) sit quasi merum cadaver. Nimirum summa illa subtilitas, cujus ratione ipsi suum & nomen & dignitatem & privilegia obtinuerunt, ortaque hinc permeandi omnia velocissimè facultas & facultati huic annexa activitas, quam calor probat, atque cui ipse motus (ceu omnibus rebus naturalibus, dicente Aristotele; (γ)) vita quædam est; quanta de Spirituum vi non promittant? præsertim si astrorum motum velut exemplar aliquod contempleris, quem ab ejusdem ferè naturæ Spiritibus confici probabile est (δ).

(α) Hist. Vit. & Mort. fol. 564. & 568. (β) in Medicin.

Spirit. Procœm. §. 8. (γ) Physic. VIII. c. 1. (δ) Wirdig.

Medic. Spir. p. 59. 60. 69.

XXVIII

XXVIII Cartesius, (a) ut idem monstret, ad illustrans an-
 trorum & fontium in hortis Principum provocat, vimque Spi-
 rituum, cum vi illa confert, quæ aqua ex fonte propellitur;
 hancque sufficere ait ad varios variarum machinarum motus, &
 jucundos in quibusdam organis lusus, quin & ad aliquam verbo-
 rum pronuntiationem. Nec præter rem; cum etiam præterea
 advocet in auxilium diversam tuborum, per quos aqua deduci-
 tur, dispositionem: quam altero loco evolvendam in materia
 hæc viarum sub nomine, in, vestigare volui. Vias illas ipse tubis
 assimilat, nervosque esse asserit; musculos vero & tendines à di-
 versis istis non ablutere organis ait, quæ motui inserviunt; re-
 spirationem autem & alias actio nes, inde profectas, habere se
 haut aliter ac horologia & molas, quarum motus aquæ ordina-
 rio defluxu conservetur. Et profecto in nervorum Structurâ
 multum situm esse, quamvis ea distinctè sensibus exponi neque-
 at, certis tamen rationibus evincit in hunc Cartesii locum non
 pauca differens Ludov. de la Forge (β), ad quem, cum brevem
 me esse tempus jubeat, Lector è nunc ablego, qui & porro in mu-
 sculis, ad quos per nervos satis copiosos deferri spiritus debent ut
 is ipsos moveant, distensionis nunc majoris, nunc minoris ratione,
 ex afflatu nunc validiori nunc debiliore Spirituum deducit, quod
 de suo adjicit opinioni Cartesii, abs quo si quid, hunc certè
 motum se distinctissimè hausisse fatetur (γ). Sanè totam inte-
 rioris hominis anatomiam postularent hæ chartæ, si, quis ordo
 viarum, quisve nexus sit, enucleare intenderem. In hoc nunc
 subsistere liceat, quod ad sedem Mentis (si qua est, ubicunque sit,
 aliis pro corde, pro cerebro aliis militantibus (δ); quanquam,
 sepositâ licet glandula pineali, cujus Phænomenon Part. V:
 Tract. de homine exhibet Cartesius, nescio an non pro cerebro
 pugnet ipsa intelligendi in nobis ratio) dentur viæ, & ab hac aliæ
 in corpus reliquum, unde in musculos, & ex horum uno in alium
 prodire possunt Spiritus proque diversâ & viæ & motus formâ
 diversi modè operari.

(a) Tract. de Homine Part. 2. §. 15. p. 27. (β) pag. 30. seqq. (γ)

C 2

p. 34.



p. 34. conf. pag. 36. (D) vid. Greydan. Physic. Lib. II. c. 2. p. 317.

Conf. Bodini Theatr. Nat. Lib. 4. p. 507. seq.

XXIX. Ut enim denique ad determinationem me vertam, partim objectis externis, partim ipsi menti proponenti & firmiter sibi rem persuadenti, partim etiam reliquæ corporis constitutioni debetur. Et objectum externum quidem quovis cunq; aliquod filamentum (ita vocant) tangit, movet totum, ut adnexum quoque alterum simul trahatur aut attingatur, velut in trahendo unam funis extremitatem, campanam, quæ pendet ab extremitate altera, eodem tempore sonare facimus (a). Nec minus de Mente clarum est, quod ejus determinationi motus quidam directe obediunt, disposito ritè corpore, hosque dicimus voluntarios; quosdam indirectè, quos, quando attentius in hæremus rerum præsentatarum conceptui, tamen hanc quam speculamur nancisci formam (ubi tamen novimus quoque nec suæ attentionis mentem semper esse Dominam) deprehendimus (b). Corporis reliquam Constitutionem quod attinet, à situ variò variâque figurâ corporum quæ in motu sunt, directionem ad certum terminum adscribendam esse, circa motum observata demonstrant (c). Mihi festinandum est.

(a) Vid. Cartes. Tract. de Homine p. 57. (b) Lud de la Forge de

Ment. Hum. cap. 16. p. 130. (c) Sengverd. part. I. Philos. Nat. cap. 7. p. 46.

XXX. Progredior ergo ad ipsas historias, quas excerptas hinc inde considerandasque supra proposui; primoque loco de Antipathiis & Sympathiis ajo, quod dispositio cerebri (a) quæ maximè sit attendenda, quæ facta ab impressionibus externorû fuit eò tempore, quò nondum observare didicimus nostrarum sive inclinationum sive aversionum causas. Hinc quando talismodi objectum redit, cui quædam cum primo, unde Mentis sive profecutio sive odium ortum, similitudo intercedit, in nobis vix sentientibus eadem quoque actio se exerit; testimonium suo exemplo huic rei perhibente Cartesio, qui, quod juvenis amasset puellam sibi æqualem, cui limuli essent oculi, se procliviorum ad

ad tales quam alias amandas deprehendit (β). Atque aliquando hæc ratio etiam in ludentibus obtinet. Ceterum ubi inclinatio non diutius quam lusus durat, voluntas nolens esse indeterminata, undecunq̄ve alteri favendi magis, quam alteri occasionem, quã suavius nunc cerebrum pro dispositionis ratione ab eodem demulcetur, accipit, licet sibi non adeo evidentem (γ). A felibus vero, Cancris, butiro, caseo &c. abhorrentes, Spiritibus veliis gaudent, qui ab halitu felium, aut effluviis canerorum, nisi coagulentur plane & figantur, certè insolito penitus modo agitantur, quod motus horum illis maxime sit contrarius: veliis, qui Matrum picæ à cibis irregulari appetitu frustra desideratis avocantur; quanquam etiam lactis fortasse in nutricibus coagulo, aut cuidam infirmitati non nihil dandum sit (δ).

(α) *Vid. de viis & vestigiis objectorum Lud. de la Forge de Ment. Hum. cap. 19. §. 6.* (β) *Ep. 36. Vol. 1. add. ipse de la Forge supr. c. 1.* (γ) *id. Forge itid. c. 1. & Le Grand Hist. Nat. p. 442.* (δ) *Ant. Le Grand H. N. p. 443. seqq.*

XXXI. Fundatur alterum quod ad ratiocinationem, eloquentiam &c. spectat, in duratione actionis, quæ novam Spirituum cursui formam induit, cui æqualitas si accedat, ne cumuletur nimium Mens attenda, distinctior quoque consideratio oblati objecti expectanda, & felicior ejusdem coram aliis explicatio. Addatur Imaginationis curiositas, nec difficultas supererit, cum Mens ut curiosa sit, organum Imaginationis tam facile moveri posse oportet, ut & minimæ rei se aperiat; quod in iis reperiri credit Lud. de la Forge (α), in quibus fibræ nervorum mediocrem habent siccitatem, & adeo subtiles sunt & delicatæ, ac natura hominis terre potest. Ubi si exercitium non negligas, quis de promptitudine possit amplius dubitare? Ex quã ipsa quoque ratione, quæ de ingeniis & moribus supra allegantur, judicare licet. In quod enim cujusque attentio fertur intentius ab ætate prima, id mores postmodum dirigit; ingenium vero jux-

ta naturæ inpressiones, consuetudinem, tempora, patriam æstimari solet, quæ omnia primum; ut sic loquar, formant Spirituum cursum (β). Rationem, ob quam DEUS nobis sub membris depictus &c. in Scripturis repræsentetur, eloquatur B. Dannhaw. Scripturæ, inquit, tanquam nutricis cum infantulis balbutientis, hæc sunt nomina α θ ρ ω π α θ ω ς κ α ι ι ϵ γ λ υ ϕ ι κ ω ς dicta, θ ϵ ρ π ϵ π ω ς intelligenda (γ).

(α) cap. 18. §. 29. seqq. (β) Becm. c. supr. l. conf. nonnulla ap. Aristot. Probl. sect. 30. (γ) Hodosoph. p. 206.

XXXII. Quod ad foeminam Gallicam, jam majorem imaginationis vim monstrant & mens in desiderio occupata & Spiritus obsequiosi, qui quanta possunt, exequi conantur. Neutiquam vero semen producere vivificum valent, quò sine foetus gigni nequit, sufficientes cum haut vires adsint. Interim probabile est, quod assuetudine quadam ducti colligant quidem, qualia in promptu sunt, ac sic molas quasdam congerant; in quibus nec organisatio debita nec vita est, adeoq; nec ex utroq; Parente efficaces de semine Spiritus conjunctim requiruntur (α). Fatemur tamen lubentissimè, hoc negotium si solam imaginationem (β) causam agnosceret, sine fraudibus &c imposturis non futurum (γ). At de foemina ipsa Gallicâ res satis clara, quod ad imaginationem etiam per physicas rationes malè provocaverit.

(α) Vid. Pfizer. de nat. mulier. p. 135. (β) cujus tamen Schema quoddam etiam in vegetabilibus exhibet Becm. Moral. c. 2. §. 6. (γ) Pfizer. c. l. p. 248.

XXXIII. In falso nobilissimæ Matronæ conceptu quam maxime operata est dubio procul imaginatio, cum ob fortem illam ac vehementem, quâ semel incitati erant, impressionem Spiritus nihil omiserint, quod in vero conceptu, imò partu conspicere est. Ansam vero primam nactos fuisse ipsos à quavis materia pituitosa ac humidè frigidâ, quam solent alias inflationis uteri causam (α) allegare, utut facile admittam, mentis

tis interim foetum discipientis determinatione omnia porrò in
gravidarum morem evenisse non dubito, quæ comprobarem
etiam ex iis, quibus alias inflatus uter ad dispergendum instiga-
tis Spiritibus (β) curari solet, nisi extra limites hoc ipsum foret.
De sagis res clarior. Causa enim Imaginationum quas eæ ja-
tant, Satan est, fraudum mille artifex (γ). Et ludibriis agi-
tari ipsas credes, si de unguentis credes Verulamio (δ), dicenti,
quod ubicunq; applicata obturent poros, vaporesq; cohibitos
transmittant ad caput; sintq; simplicia ex quibus componan-
tur potissimum opiata & soporifera (γ).

(α) *Pfizer. Nat. mulier. p. 364.* (β) *id. p. 368.* (γ) *Conf.*
Bodin. Theatr. Nat. p. 500. (δ) *add. in Becman, cit.*
Dn. Stryk. proæm. de Fur. Sens. n. 5. § 62.

XXXIV. Somnia an futura præfagiant nunc non evolvam;
res hodie plerisq; dubia. Interim varios esse motus Spirituum,
unde variæ confusæq; ipsorum confusionem cogitationes se-
quuntur, res in confesso est; de causis quæritur curatius. Sed,
quæ partim supra ex ipsius imaginationis declaratione (α),
partim etiam pluribus ex Beemanno, tum ad temperamenti ra-
tionem, tum ad ventriculi ciborumq; assumptorum qualitatem
&c: (β), nos ablegant, patescere possunt. Brevitatis studiò exi-
gente, alia non addo; nisi quod idem ex Tacito de Nerone narrat,
quod divitiarum somnio Bassi promissarum expectatio inter causas
publicæ paupertatis numeretur; sic ludunt somnia fallaci nocte.

(α). *Thes. 29.* (β) *Moral. c. 2. §. 9.*

XXXV. Ægrotorum Phantasmata à confuso Spirituum mo-
tu oriuntur, quodq;ve, cum incideret morbus, ultimo loco aut
paulo antè, quam maximè speculata erat Mens ab eodem obla-
tum; id continuo referunt Spiritus & organa exprimunt. Ac
quemadmodum citissimus est motus, ut mens advertere nunc
nihil queat, vel etiam viæ aliquid damni passæ sunt, ut inæquali-
ter omnia procedant, non omitti prius ullum illorum phantas-
matum potest, donec reeducatur ordo Spirituum, rectificenturq;
tritæ semitæ. Sed ipsos morbos quod spectat observatum est,

si avo-

si avocetur Mens ab injucundis contemplationibus, jucundisq;
continuo in hæreat, valetudini bene consuli, si tristibus indulge-
at, ipsos Spiritus labefactari ac defatigari; quippe qui in his ni-
mum prpsequuntur mentis habitudinem (α). Unde utrumq;
exemplum curatæ febris è Thef. XIII. exponi valet. Certe ab
infantia si magis ab objectis querelarum & ægritudinum abdu-
ceremur, transigeretur ætas nostra uti vegetè magis ita & pa-
catè magis.

(α) *Cartes. Ep. sup. allegat. 23. Vol. 1.*

XXXVI. De Strumis hæc sunt Becmanni verba (α): Vulgus dum
recolit & veneratur tantam summorum Monarcharum facili-
tatem, quâ vilissimis etiam sui copiam faciunt, facile Imaginati-
oni aliquid dare potest, cidenturq;ve ad præsentiam Domini sui
Spiritus, atq;ve occulta veluti transmissione recreati movent tan-
dem, trahunt & averfantia vincula perumpunt. Subnectit
mox: Nec omnes sanantur, quia languidior ipsorum imagina-
tio impar est excitandis tot Spiritibus, qui mali gravitatem
amovere possunt. In quibus verbis hanc circa rem acquiesca-
mus.

(α) *c. supr. l. Moral. c. 2. §. 4.*

XXXVII. Causam mortis, quæ accidit Thoruniensi fœminæ,
proximam, epilepticos insultus esse, ipsa enarratio docet. At
hi qui à sola imaginatione provenerint, id præcipuè urget de-
monstrationem. Ceterum quod etiam parvis affectibus in
senectute subortis commoriantur animalia Aristotelis con-
sensu stabiliri potest (α). Scilicet hic jamjam vitæ principium
sensim deficere suevit. Quod item magnitudine lætitiæ exani-
mata subito fuerit, Polycrita, Plutarchi (β) commemoratione
constat. Videlicet Lypothymiam quæ à morte multum non
distat, extremæ lætitiæ effectum esse posse, Philosophi (γ) asse-
runt, quod extraordinariè apertis in corde orificiis, copiosiusq;
excepto sanguine, quam ut debitè distribui queat, tandem suffo-
cetur, quò conservamur, ignis: quid mirum si non subsidium
ferant conturbati, ut fas est, mortem ipsam insequi? Sed hoc
loco

loco ante partum non fit ulla infirmitatis mentio, refertur Imaginatio sola; quam post partum id excepit, quod firmissimè ipsa foemina sibi persuaserat. Itaque persuasio illa certissima disposuit (d) prius mentem ad inhærendum firmiter huic hausto semel conceptui; & quoniam, ex hoc non variatò, ipsis Spiritibus determinatio quædam accessit, ideam (quam vocat Dominus Wirdigius (e)) timorofam fortiter impressam, cum ei, ceu fieri ceteroquin in hoc labore maximo (z) amat, alia quædã spirituû impotentia (n) succurreret forte, epilepsia; hanc moro subsequuta fuit. Alio prorsus eventu, quam quem Greiseliu licet in alio etiã casu expertum esse invenio (g) in fratre viri cujusdã jã demortui & cultro anatomico subjecti. Is enim inopinatò huc delapsus, cū & ipse de causa mortis fraternæ differeret, incidit in deliquium animi, cui repellendo nihil sufficere velle videbatur, quicquid etiam adhiberent. Fortè de hoc quoque post mortem seando quædam Greiselio verba excidunt, en! præter omnem expectationem subitò exilientem hominem, auxilium inclamantem, effugientem: nec ullo deinceps malo affectum. Ita qui dispersi penitus erant, novâ hæc & subitanæ impressione colliguntur Spiritus.

(a) *De Respirat. c. 17.* (b) *Plutarch. de Virt. Mul. f. 254.*
(y) *vid. Cartes. de Passio. Anim. §. 122. p. 56.* (d) *id. c. 1. §. 165. p. 78.* (e) *Medicin. Spirit. Lib. 1. c. 25. §. 17.*
(z) *Aristot. de generat. Animal. Lib. 4. c. 6.* (n) *id. ib. Lib. 2. c. 1. §. 3.* (g) *Ann. 3. Acad. Curios. Obs. 45.*

XXXVIII. Sed ad gravidarum desideria; quorum causas aliàs Dn. Medicis relinquo: quanquam ex his certum sit primum (ut sit loquar) instinctum nasci, quò tantopere moveantur Spiritus, nec acquiescant, donec desideratâ repotiantur. Imprimis cum ventriculo bene non sit, fastidienti multum & nauseabundo. At enim is exitus unde, quem historia suppeditat? Respondet Pfizerus (a) qui eam adfert, tristitiæ maternæ eum adscribendum, quæ avocet ab alimento foetui destinato Spiritus, & in hoc, quo sibi satis factum non sentit, detinet: hinc orta

D

scribit,

scribit, gratificandi etiam præternaturalibus desideriis, modo
ne noceant omnino, consilia; nisi alia ratione ab iis averti
possint desiderantes.

(a) *Vid. c. supr. l. in Thes. XVI.*

XXXIX, Porro ad Signaturas, quas foetibus imprimunt,
& in quibus declarandis prolixus est Lud. de la Forge (a), quo-
modo idearum vestigia radient in sanguinem, egregie (si pinea-
lem glandulam excipias, & alium in cerebro concursum, quâ in
re nihil determino, substituas) ostendens. Potissimum tamen
ovum & illa & communicatio facit, quæ intercedit matri
cum infante, quem per novem menses in suo gestat utero, ad
cujus formationem saltem multum eandem conferre, negari haud
potest. Quapropter ipsi etiam (Lud. de la Forge) videntur
mater ac infans non inconvenienter duabus duarum testudi-
num fidibus (β) in unum eundemque tonum adductis comparari
posse. Quod simile, quâ ulterius exponat, in eò leges, & nunc
tantum id cogitabis, cujus Forestus (γ) meminit, de gravida
nobili quæ brachium fregerat, ac partum edidit, in quò e-
jusdem rupturæ signa se exhibebant: poterisque jam deter-
minationis à matre proficientis modum tibi imaginari.
Adde quod infantis teneritas in magna ista, quæ imagina-
tionem excitat, commotione, motui non difficulter cedere,
atque hinc, quicquid hinc narratur, accidere valeat. (δ) Quam-
obrem secundum de Leidensi foemina exemplum, tertium item
de labiis bifidis, & quartum de monstruosis foetibus, nec non assertum
ultimum in Thes. XVII, pato clarere. (ε) At licet primum de
Persina per spermatis colorem aliqui resolvere conentur, cui
nec penitus repugnat le Grand (ζ); nihilominus tamen idem i-
maginationis vim ex nervis, per quos Spirituum cursus indefi-
nenter feruntur, à cerebro in omnes corporis partis protensis,
& vehementiâ ipsius motus, ac cogitationum constantiâ, elicit.
His enim positis operatio in viscera & humores nigrum vel al-
bum colorem producere autumat posse.

(a) *Comment. in Tract. de Homine à p. 128.* (β) *Vid. de bis*

de his Antle Grand Hist. Nat. p. 71. n. 4. (γ) Vid. ib.
p. 426. n. 3. (δ) Pfizer. de Nat. Mulier. p. 209. (ε) Vid.
interim le Grand. Hist. Nat. p. 360. seqq. & 367. Me-
morabile hic memorandum quoq; Jacobi Regis An-
glia exemplum, qui sine horrore nequirit evagina-
tum ferre gladium, ut suo penè damno, cum Eques
crearetur, expertus est Digbaeus, quem horrorem ma-
tris gravida horrore adscribi vid. ap. de la Forge de
M. H. ubi ab inopinato casu hincq; motu pari Spiritu-
um deductam rem videbis. c. 22. §. 10. & 11. (ζ) Hist.
Nat. p. 427. n. 4.

XL. Reliquam vim imaginationis in alia corpora me nolle
inquirere iam supra dixi; Quod enim de Bratis asserendum, id
itidem ex contextura & horrore Spirituum (α) foret deducen-
dum. Cetera autem, quorum Verulamium meminisse memi-
ni, ex eodem investigentur. Si enim excipias quæ de affecti-
bus monet, quorum ratio supra addita, in reliquis ipse credide-
rim quod idem ait alias: experimenta quæ vim imaginationis
in aliena corpora solide probent, pauca esse aut etiam nulla (β).
Proin hic finio & cum omnino obtineat Experientiss. Wirdigii
(γ) assertio: vix explicabile esse, quas vires habeat & imperi-
um Phantasia in Spiritus & corpora: veniam mihi à benevolo Le-
ctore facile promito, si quæ hinc inde potui excerpere ex Auto-
ribus, qui nunc ad manus sunt, in Sciagraphia saltem brevissimâ
præsentem, rei ipsi solide non satisfaciam. Exercitio disputa-
torio, ad quod ut publicè progrederer, ab Honoratissimo Paren-
te jussus sum, talia quidem consecrari quoque possunt, quæ un-
diq; exasciata non sunt, dummodo præstandi in posterum
meliora conatum exhibeant. Hic scopus meus, in quo hæc vice
subsisto. Deoque, cui hinc abiturus hanc Academiam com-
mendo, ut floreat felicissime precatus, dico

SOLI GLORIAM.

(α) Scilicet ex Spirituum vi & efficacia, viarū ratione ac contexturâ
nec non deniq; variâ determinatione deducenda erant reliqua ma-
ximè omnia (β) Hist. Nat. Cent. 10. f. 958. (γ) de Medicin
Spir. L. 1. c. 24. §. 31.

Phantasiæ Virtus gravidæ, partusque, sagacis
Sumitur ingenii gloria prima tui.
Tu Phantasma refers: referunt Phantasmata MENTEM:
Phantasiæ ingenium pingis, at Illa TUUM!
Mirificos lusus genetricis imaginis adfers:
Egregium studiis adferat illa decus!

*Hæc gratulabundus cum voto felicissimorum in studiis
progressuum, clarissimo Dn. Postelio, auctori hujus
dissertationis dignissimo, conrectori suo hæcenus
per sesquiannum suavissimo adjecit*

FRANCISCUS WOLFIUS,

Theol. D. & P. P. Pastorq; Marianus, h. t.
Academiæ Rostochiensis Rector.



Ad
DN. JOH. POSTELIUM,
Auditorem atqve Amicum s. longè dilectiss.
Vires Imaginationis proprio Marte elaboratas
publ. exhibentem:

Vis Mentis TIBI prima fuit, TIBI maxima cura,
Sic aliquam Mentis Vim memorare vales.
Sat benè: nam variâ quod das in imagine scriptum,
Hoc Menti inscriptas exhibet artis opes.
Perge ita; facque TUÆ splendescant Munera Mentis
Porro: PATRI placeas quò PATRIÆQUE TUÆ.

scr. festinantiss.

G. F. Seligmann/ P. P.
Præses.

Die

Die künstliche Natur kan wunder Dinge schaffen/
Wen sie durch ihre Kraft in den Geschöpfen
wirckt/

Voraus wan Fantasien ihr reicht Einbildungs- Waf-
fen/

So wird sie kaum selbst durch Unmöglichkeit umzirt.
Die Mutter mahlt ihr Kind mit tausend wunder- flei-
fen.

Ja bringt es ohne Haupt und Hände an den Tag:
Es lönt ein blosses Schwerdt der Britten König schrek-
fen/

Daß einen Höffling an der Mutter Tisch er stach.
Hat nicht ein bunter Stab Israels Guth vermehrt
Wann seine geile Heerd zur Abend-tränke kam?
Ein weisses Kindchen ist in einen Rohr verkehrt
Weil ihn die Mutter nur stark in die Augen nam.
Allein der Weißheit Bau steht auf weit andren Grün-
den

Als der durch Fantasien in leere Luft gelegt.
Es läst sich Kunst durch Fleiß/nicht durch Einbildung
finden

Die nur mit Firniß gleist wann jene Lorbeer trägt.
Der halben ist es recht/ Mein Bruder/ wol zu streiten/
So stellet ganz gewiß der Sieges Kranz sich ein.
Ich wünsche zum Beschluß/ daß du in kurzen Zeiten/
Mögst unser's Vaters Lust/der Mutter Freude seyn.

Aus brüderlicher Schuldigkeit
aufgesetzt von

C. H. Postel,

Ein

In junger Adeler wann er den Alten siehet
Mit schnellen fluge gehn gerad der Sonnen zu/
Ihm nachzufolgen ist er eiferigst bemühet
Und wann er es erlangt/ dann sucht er süsse Ruh.
So macht er s auch mein Freund/ Er sieht den Vater
prangen
Mit höchstverdienten Ruhm/ der an die Wolken
steigt/
Er spahret keine Müh/ Er will es auch erlangen/
Bis er an tugenden dem Herren Vater gleicht.
Ich wünsche glück dazu/ es müsse Ihm ergehen
Daß er das Ziel erreich so Er sich vorgestellt/
Es müsse bender Nahm geezt in Demant stehen/
Damit Er werd bekant der hinterlassnen Welt.

Mit diesen wenigen hat seines
Wehrten Freund gratuliren
wollen dessen ergebnester

A. H. von Essen/



V017

Ad sum
fices, q
ser

Veru
FIER

QVI

qvanqv

consideratis Phy-
tic. Parall. Dis-
cat Lib. 1.

n dictum:
T IDEM

VINUM

e habeat, dif-

